

tiones disceptando aliquot dies insumpsissent, negotio infecto discessere. Ab injuriis interim, atque armis utrinque Principum edicto temperatum. 1561

Frequentibus hisce finitimorum diffidiis, quæ nonnunquam in arma erumperent, adducti Patres, de limitaneis oppidis exactius muniendis consilia iniere; idque eo magis efficiendum censuere, quod superiori anno Sinuessanus Dux, Mediolani præfectus, cum circumjectam regionem peragrasset, atque ad Venetorum fines adequitasset, de arcibus nonnullis haud procul a Reipublicæ ditionibus erigendis cogitaverat, moxque in Hispaniam profectus, ad eas res perficiendas ingentem pecuniæ vim sibi depoposcerat, Igitur de Bergomo firmando, quæ postrema ex Venetis urbibus ad Insubrum fines in montis clivo sita est, agi cœptum; exquisitisque peritorum virorum sententiis, tandem ex Sfortiæ Pallavicini, summi militiæ præfecti, mente opus aggredi, eidem munere delato, Senatus decrevit. Statim operarum, ac fossorum multitudo eodem contendit, fossis excavandis, propugnaculis novis erigendis, veteribus perficiendis destinata; quingenti ac quinquaginta ex ordinum militibus præfidiariis adjecti, quo intentiores custodiæ haberentur. Ingens ea in re Bergomatum studium, ac fides in Rempublicam exitit, quorum cum domus nonnullæ, atque ædificia diruere, ac solo æquare necesse esset, ob idque legatos, qui civium detrimenta patefacerent, civitas ad Senatum misisset, ejus voluntate, & mente cognita, non modo æquo animo eam jacturam perpeffi sunt, verum etiam fortunas, filios, quæque ipsis cariora forent, Senatui detulere. Eversis itaque aliquot civium domibus, facisque Alexandri, atque Augustini templis, ex quibus summa cum pietate divorum reliquiæ ab Antistite, ac sacerdotibus, magistratu, atque universa comitante civitate, sublatae sunt; validissimæmunitiones extrui cœptæ, fossæ profundiores in prærupta, ac saxea materia insuperabili prope labore actæ, totaque demum urbs inexpugnabili opere munita est: qua in re Sfortiæ ingenium, atque industria, Hastoris Baleonii, Hieronymi Martinengii, Julii Soarniani, atque Augustini Clusonii virtus enituit.

Ex ea finitimæ urbis subita munitione haud levis in Insubrum

*Sinuessani  
Ducis consilium de munitionibus  
ad Venetorum  
fines in Insubribus erigendis.  
Bergomum a Venetis munitum.*